Secundus evidencia est sciendum quod per peccatum homo dupliciter erat obligatus. Primo quidem servituti peccati quia qui facit peccatum servus est peccati ut dicitur Jo. 8. et 2ª Pe. 2. A quo quis superatus est eius servus addictus est. Quia igitur dyabolus hominem superaverat inducendo eum ad peccatum, ideo homo servituti dyaboli addictus erat. Secundo quantum ad reatum pene qua homo obligatus erat secundum dei iusticiam et hec est servitus quedam. Pene enim de servitutis autem proprie est quod aliquis paciatur quod non vult cum liberi hominis sit uti seipso ut vult. Quia igitur passio Christi fuit sufficiens et superhabundans satisfactio peccati et pro peccato generis humani, ideo eius passio fuit quasi quoddam precium per quod liberati sumus ab utraque obligacione. Nam ipsa satisfactio qua quis satisfacit sive pro se sive pro alio precium quoddam dicitur quo se redemit a peccato et a pena secundum illud Danielis 4. Peccata tua elemosinis redime. Christus quidem satisfecit non pecuniam dando aut aliquid huiusmodi sed dando illud quod fuit maximum scilicet seipsum pro nobis et ideo passio Christi dicitur esse nostra redempcio. Sed contra. Videtur quod nullus emit vel redemit quod suum esse non desinit et homo numquam desiit esse dei. Dicendum quod homo dicitur esse dei dupliciter. Uno modo in quantum subiacet potestati eius et hoc modo homo numquam desiit esse dei secundum illud Dan. 4. Dominatur excelsus in regno hominum et cuicumque voluerit dabit illud. Alio modo per unionem caritatis ad eum secundum quod dicitur Ro. 8. Si quis spiritum Christi non habet hic non est eius. Primo igitur modo homo numquam desiit esse dei. Secundo desiit esse dei per peccatum. Et ideo homo inquantum fuit liberatus a peccato Christo passo satisfaciente dicitur per passionem Christi esse redemptus.

Tercio insuper quod per passionem Christi consecuti sumus remissionem culpe pene dimissionem aptatem (?) dyaboli liberacionem dei reconciliacionem et ianue celestis

apercionem

De culpe remissione facta per Christi passionem dicit Apostolus Apoc. primo. Qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Unde nota. Triplex peccatum tunc tenuit (?) expugnavit primum originale genus quod non solum personas infecit sed eciam naturam. Secundum personale cuius gravem quidem cum iam loquaris habemus (?) exhibentes undique membra nostra arma iniquitatis. Tercium vero singulare gravissimum quod quidem commissum est in dominum maiestatis cum viri impii vi (?) iniustum iniuste occiderunt. Hoc peccatum Christus in se pertulit qui seipsum occidi fecit ut de peccato dampnaret peccatum. Per hoc enim quod peccatum tam originale quam personale deletum est et ipsum quod singulare eliminatum est per seipsum. Ideo de eodem in ipsa elevatione manuum eiusdem cum iam sacrificium matutinum in holocaustum transiret vespertinum in ipsa magis virtute intensi quod celos ascendebat et terram conspiciebat inferos respergebat exauditus ob reverenciam tuam clamans Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.

Secundus vero evidencia est sciendum quod passio Christi est causa remissionis peccatorum tripliciter. Primo quidem per modum provocantis ad caritatem quia ut dicit Apostolus ad Ro. 5. Commendat deus caritatem suam in nobis quia cum adhuc inimici essemus Christus pro nobis mortuus est. Per caritatem autem consequimur veniam peccatorum secundum illud Luc. 7. Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum. Secundo passio Christi causat remissionem peccatorum per modum redempcionis quia ipse caput nostrum per passionem suam quam ex caritate et obediencia sustinuit liberavit nos tamquam membra sua a peccatis quasi per precium sue passionis. Sicut si homo per aliquod opus meritorium quod manu exerceret se redimeret a peccato quod pedibus commisisset. Sicut enim naturale corpus est unum ex diversitate membrorum consistens ita tota ecclesia que est misticum corpus Christi computatur quasi una persona cum suo capite quod est Christus. Tercio per modum efficiencie in quantum caro secundum quam Christus passionem sustinuit est instrumentum divinitatis ex quo eius passiones et acciones operantur in divina virtute ad expellendum peccatum.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_338/0167
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG